



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmmae Virtvtvm, Ac Vitorvm , Tomus ...**

**Guilelmus <Peraldus>**

**Lvgdvni, 1585**

De descriptionibus fidei. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46132)

tius intellectus ab hac subiectione sit exemptus, quam affectus. Et cum duæ sint partes legis Dei, scilicet testimonia & mādāta. intellectus credit testimonia, sicut affectus implet mādāta. Item quum intellectus induendus est gloria sicut & affectus, & gloria ipsius intellectus principalis videatur esse secundum id quod dicit glo. super illud Psal. Ostendam illi salutare: meum: id est, Christum in maiestate. hęc visio est tota merces. Intellectus hic gratia fidei induendus. Quomodo enim fieret in futuro à Deo gloriosus, nisi in presenti Deo esset gratus, vel gratiosus?

*De descriptionibus fidei.*

CAP. II.

**O**stenſa necessitate fidei ponendæ sunt descriptiones eius. Prius tamen norandæ sunt diuersæ acceptiones huius nominis fides, vt appareat quomodo hic fidē accipiamus. Fides quandoque dicitur sponſio. 1. Tim. 5. Quia primam fidem irritā fecerunt. Quādoque fidelitas. Prouerbioꝝ vigesimo: Virum fidelem quis inueniet? Quādoque conscientia. Rom. 14. Omne quod nō est ex fide, peccatum est. Quādoque creditum, vel collectio creditorū. Vnde Athanasius: Hęc est fides catholica. Quādoque sacramentum fidei. Augustinus ad Bonifacium: Quid est paruulos habere fidē, nisi fidei sacramentū? Quādoque fides informis. 1. Cor. 13. Et si habuero omnem fidem, ita montes trāferā &c. Quādoque fides viua, sic sumitur hic, & secundū hoc sic describitur Hebr. 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentū non apparentium. ¶ Fides substantia est. Substantia stat sub accidentibus ea supportans & sustinēs, & non eget alio subiecto. Sic fides in edificio spiritali substat totū edificium supportās & sustinēs, non egens virtute aliqua quæ eam precedat. Ipsa est firma petra supra quā sapiēs edificat domū suam. Matt. 7. & eiusdē 16. Super hęc petra edificabo Ecclesiā meam. Petra vocat firmitatē fidei in Petro. Hoc fundamentū nō timet nec pluuiā, nec flumina, nec vētos. Nec mirum. Innixū enim est primæ veritati. Fides enim annitur primæ veritati. Matth. 7. Descēdit pluuiā, & vēnerūt flumina, & stāuerūt vēti, & nō cecidit. fundata enim erat supra firmā petra. Pluuiā quæ desursum venit, est impugnatio aēreæ potestatis. Flumina quæ de montibus descendunt, sunt persecutiones potentum. Venti dicuntur omniū tentationū genera. De hoc fundamento legitur 1. Cor. 3. Vt sapiēs architectus fundamentū posui. Glo. id est, fidē Christi. Et paulo post: Fundamētum aliud nemo potest ponere præter id quod positū est, Iesus Christus, id est, fides Christi. Apoc

21. Fund

21. Fundamentū primū iaspis. Iaspis viridis est coloris, & fugat  
 fantasmata, & fidem significat, quæ viriditate æternorum ocu-  
 los cordis delectat, & vanitatem huius mundi, quasi fantasma  
 est, fugat, dum fugiendam esse indicat August. O mūde im mū-  
 de quid sterpis? quid auertere conaris? tenere vis fugiens, quid  
 faceres, si maneres? Absque fundamento fidei vanum est ædifi-  
 cium spirituale: id est, vadens in nihilum. Sap. 13. Vani sunt om-  
 nes homines, in quibus non subest sciētia Dei. Scientia Dei seu  
 cognitio fides est. Sine hoc fundamēto est ædificium spirituale  
 quasi supra arenam, quod necesse habet corruiere ad descensum  
 pluuiæ, vel impetū fluminis, vel vēti. Mat. 7. Descēdit pluuiā, &  
 venerūt flumina, & flauerūt vēti, & irruerūt in domū, illā, & ce-  
 cedit: ¶ In descriptione fidei res sperāda ponuntur: quia dignio  
 res sunt inter ea quæ sunt fidei, & quia sunt finis. Sicut enim  
 fides bonū inchoat, sic adeptio rerū sperandarū cōsummat. A-  
 ctus verò sperādi potius nominatur ibi quàm diligendi: quia  
 immediatus est ad actū fidei: & quia sic notatur absētia eorum,  
 de quibus est fides, diligere possunt & præsentia & absentia, sed  
 nō sperātur, nisi absentia vel futura. Fides autē dicitur substā-  
 tia rerū sperandarū: quia causa est vt res quæ sperātur in futu-  
 ro, in nobis subsistat. In præsentia etiā quodāmodo facit eas in  
 nobis subsistere. Per fidē enim futura bona mēti nostræ quodā  
 modo sunt præsentia. Per eam etiā quæ inuisibilia sunt quodā  
 modo videntur. Propter primum dicitur substantia rerum spe-  
 randarū, propter secundū, dicitur argumentum non apparen-  
 tium. glo. Fides propriè est de his quæ non videntur, de visis  
 enim nō est fides, sed agnitio. Et subditur: Hæc est laus fidei, si  
 quod creditur, non videtur. Fides dicitur argumentum nō ap-  
 parētium, quia est inuisibiliū certitudo: vt dicit gl. super Galat.  
 5. Ipsa est probans non probatū: dedignatur enim esse cōclusio.  
 Triā sunt quæ sequūtur ex hoc argumēto, scilicet articulorum  
 certitudo, vitæ rectitudo, præmij æterni celsitudo. De primo  
 iam habitum est. De secundo habetur Rom. 1. Iustus autem ex  
 fide viuit: id est, vitam suā regit & disponit. De tertio, Io. 3. Qui  
 credit in filio, habet vitā eternā. Fides nobis primò proponitur.  
 Secūdo vitæ rectitudo assumitur, ex quibus vitā æterna cōclu-  
 ditur. Ex certitudine fidei infertur vitā æterna tāquā ex imper-  
 fecta argumētatione. Io. 6. Qui credit in me, habet vitā eternā.  
 Ex fide verò cum vitæ rectitudine, quasi ex perfecta argumēta-  
 tione vitā æterna infertur. Ex fide cum vitæ prauitate conclu-  
 ditur mors æterna. De qua conclusione Ezech. 7. Fili hominis  
 fac

hac conclusionē: quoniā terra plena est iudicio sanguinū & ci-  
 uitas plena iniquitate. Iacob. 2. Quid proderit fratres mei si fi-  
 de se dicat quis habere, opera autem nō habeat? nunquid pote-  
 rit fides saluare eum? Secundū Chrysol. Fides maiorū est argu-  
 mentum fidei minorū. Confirmatur enim fides in minoribus  
 per hoc q̄ tot & tam sancti homines eam tenuerunt. ¶ Et notā-  
 dum, quod ad viam fidem duō pertinent, scilicet primam ve-  
 ritatem cognoscere, & in ea tanquam summū bonum vel bea-  
 titudinem rēdere. Quantū ad primū, dicitur fides argumentū  
 non apparentium. Quantum ad secundū, dicitur substantia re-  
 rum sperandarum. Itē fides sic describitur ab August. in li. de  
 prædest. sanc. Fides est cogitare cū assensione ea quæ ad Chri-  
 stianam pertinent religionē. Et Isidorus: Fides est qua veraciter  
 credimus. Chryl. dicit quod fides est sanctissimæ religionis fun-  
 damentum. Religio (vt ait Isidorus) est appellata, quod per eam  
 vni deo religamus animas nostras ad cultum diuinum seruien-  
 di vinculo. Magistraliter etiam sic describitur: Fides est virtus,  
 qua ea quæ ad fundamentū religionis pertinet, rectē firmiterq̄  
 creduntur. Bernard. in li. de Consideratione: Fides est voluntaria  
 quædā & certa prælibatio necdū præpalata veritatis. ¶ Et no-  
 tandū quod quatuor videntur facere ad hoc q̄ fides viua, licet  
 sit cognitio, virtus sit. Primū est, quod actus ipse multū ha-  
 bet à voluntate. Sicut enim ille qui multū amat aliquē, volun-  
 tarius est ad credendū bona de eo, mala verò de eo credere nō  
 vult: Sic ille in quo est amor Dei intēsus, volūtarius est ad cre-  
 dendū de Deo omnia, quorum credulitatem credit esse placitā  
 Deo: vnde sine ratione sufficienti assentit talibus. 1. Cor. 13. dici-  
 tur, quod charitas omnia credit. ¶ Secundum est, quia cōsentit  
 his, in quæ difficile est consentire. Vnde sicut diligere inimicū,  
 virtutis est, cū ad dilectionem illam meritū eius qui diligi-  
 tur non iuuat, sed potius repugnet: sic consentire Deo in his  
 quæ contra rationem videntur esse, virtutis est. ¶ Tertium est,  
 quod fides viua radius viuus est procedens à fonte vitæ, à sole  
 scilicet intelligentiæ. De quo Sap. 5. Sol intelligentiæ nō est ortus  
 nobis. Fides mortua est sicut lumē solis, quod est in locis obū-  
 bratis, non habens calorem. Fides verò viua non solum lucet,  
 sed etiam calefacit: nec solū lumen est ostēdendum, sed etiam  
 vita mouens: scilicet ad faciendum bonum, & declinandum à  
 malo. Cū videtur concordare quod dicit Aristotel. De Diuina  
 scientia, quod plus est virtus, quàm ars. ¶ Quartum est, quod  
 mira operatur, vt infra patebit. Marci vltimo: Signa autē eos  
 qui

qui crediderint, hæc sequetur. Sicut impetuositatis fluminis tunc primo apparet quam fluuius inuenit obstaculum: sic fidei virtuositas, cum aliquid impugnans habuerit. ¶ Itæ fides sic potest describi: Fides est, digna Deo credulitas. Credulitas digna Deo est credere ei propter se, & super omnia. Vnde super illud 2. Corinth. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, dicit glo. quod cogitare est initiu fidei: assentire autè summæ veritati propter se & super omnia, est eius complementu. Et notandū, quod licet fides viua non assentiat primæ veritati principaliter propter rationes, tamen rationes posunt esse introductiua ad eā. Sed postquā ipsa introducta fuerit, dicit sicut dixerūt Samaritana: Iam nō propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiimus & scimus, quia hic est saluator mundi. Ioan. 4. August. in lib. de Correctione & gratia: Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit: nam sine alimentis non possumus viuere: non tamē afferūt alicui alimēta, quod viuar qui mori voluerit, quasi causa sine qua nō sit, vel ratio nō sit. Fides viua in anima est, vel speculum creaturaru, vel miracula, vel rationes, vel doctrina: sed lux infusa desuper principalis causa est quod intellectus consentiat firmè in ea quæ sunt fidei. Vnde August. dicit, quod fides est illuminatio mentis ad summā veritatem. Et super illud Mar. 9. Credo Domine, adiuua meā incredulitatē, dicit glo. Credulitas nostra infirma est, nisi sit innixa adiutorio Dei.

*Quod vna sit vera fides. Et quod illa sit Christiana, multis argumentis ostenditur.*

## CAP. III.

**S**equitur de vnitare fidei, de qua legitur Ephesior. quarto: Vnus dominus, vna fides. Quinque verò videntur facere ad vnitare fidei. Primò hoc, quod illud de quo principaliter est fides, vnum est. Vnde super illud, Vna fides, dicit glo. Vnum & idem est quod creditur à cunctis fidelibus. Vnde fides catholica dicitur: id est, vniuersalis. Deus de quo fides est, principaliter vnus est, & non mutatur. Exod. decimo: Audi Israel, Deus tuus vnus est. Psal. Non erit in te Deus recens. Iaco. 2. Apud quem non est transmutatio. Hieronymus: Nec fides mutatur. Tob. 2. Vitā illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo. Secundò hoc, quod fides est lumen infusum desuper, & non est à probabilitate rerū quæ creduntur: ideò non diuersificatur secundum diuersitatem rerum creditaru. Ipsa est lucerna quā Dei sapientia accendit ad recuperandā drachmam perditam. Luc. 15. glo. Drachma est numus

corre